ORATIO

IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

A CAJETANO LUCARELLI

Physiologiae humanae Professore

HABITA

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO

IV KALENDAS FEBRUARII A. D. MDCCCLVI.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA PHILIPPI SERAFINI
Via dicta Carbonara n. 97
MDCCCLVI.

Si quantum humanis animis Natura sciendi cupiditatem ingenerat, tantum quoque discendi amorem et alacritatem insereret, profecto non miraremur quonam litterarum fato contingat, quod tametsi nostra aetate hominum ingenia nihilo quam antiquitus deteriora sint, immo saepe in multis praestantiora videantur, pauci tamen existant, qui cum sapientissimis litterarum parentibus, qui antea floruerunt de eorum doctrinae laudibus contendere audeant. Sed cum animus propensior sit ad voluptates et desidiam quam ad labores, idcirco plerosque intuemur litteras fastidire, saepe etiam reformidare, refugere, vel primoribus tantummodo labris delibare, quod plenae laboris sint; quod maximis obsitae sint difficultatibus; quod sine anhelitu multoque sudore in arduo sitas

nemo assequi possit. Relanguit enim jampridem, relanguit in plerisque omnibus amor erga optimas disciplinas. Restinctus est omnino vetus ille ad litteras ardor animorum atque contentio. Inveteravit jam opinio quaedam non modo litteris humanioribus perniciosa, verum etiam scientiis omnibus maxime periculosa, in hoc scilicet studiorum genere nihil gloriosum, nihil divitiarum esse sperandum. Non ita profecto Majores adolescentiam exegerunt, dum deliciis, languore, desidia animum non infecerunt, et otium malorum omnium radicem aversati, laborem alacriter amplexabantur. Quamobrem optimo consilio provisum et constitutum est, ut ad pellendam tam indecoram exitialemque socordiam, quae eos inertes facit atque ignavos, validis subinde incitamentis urgerentur ad quosque labores devorandos, ad quamcumque difficultatem vincendam, ut inde inaestimabilis bonorum thesaurus in litteris abditus, in eorum sinum effundatur. Reputanti vero mihi quibus incitamentis uterer, nihil auspicandis nobilissimis studiis occurrebat opportunius, nihil ad amplitudinem hujus loci accomodatius quam si hodierno die in tanta sapientissimorum hominum frequentia statuerem: Juvenum animos ob generosam naturalem indolem, laudis et gloriae stimulis excitari atque inflammari. Quo quidem argumento vix aliud quidpiam ad bonarum disciplinarum studia magnificentius et utilius fingi aut excogitari posse existimo. Natura enim ex Tullio nihil praestantius habet, nihil quod magis expetat quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam

decus ; et nihil est vera gloria dulcius. Hinc apud Romanos laudabilis extitit mos, ut in conviviis de clarorum hominum virtutibus ad tibias canerent ; et hanc disciplinam illos e Graecis accepisse liquet, penes quos Platone ac Plutarco testibus musices quaedam species erat ad formandos adolescentes instituta, qua Deorum ac Heroum laudes canebantur, ut propositis virtutis exemplis tum ad sapientiam, tum ad illustria facinora illorum pueri gloria ducti inflammarentur. Proinde non mihi venit in mentem subvereri, ne orationem hanc peramanter benigneque excipiatis, quae maximum et litterarum, et litteratorum hominum ornamentum promovet.

Adeste igitur auribus, adeste animis, adolescentes, ut contumelias ac dedecus quod vobis impendet, si litteras aut negligitis aut aversamini, a vobis depellam.

Et in ipso dicendi limine quid sit gloria, ad quam contendere debetis, adolescentes, ne veram cum falsa confundatis non sine probro, animadvertere operae pretium duco. Est enim gloria ex Principe Romanae eloquentiae et summo Philosopho solida quaedam res et expressa non adumbrata : ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute : ea virtuti resonat tanquam imago gloriae. Quae quia recte factorum plerumque comes est, bonis viris non est repudianda. Illa autem quae se imitatricem esse vult temeraria atque inconsiderata, et plerumque delictorum vitiorumque laudatrix fama popularis, simulatione hone-

statis formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Quae ergo habent speciem gloriae collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemnenda, brevia, fugacia, caduca existimanda. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.

Honos est praemium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem. Qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus, et honoratus videtur. Bona fama bonorum vere sola gloria nominari potest. Neque vero quis putet ex prosapiae vetustate, ex pecuniarum copia, multis vanisque honorum insignibus gratia aut pretio persaepe quaesitis, quae vulgus maximi facere admirarique stultissime solet, gloriam conflari posse. Ut levitatis est inanem aucupari rumorem, et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari, sic levis est animi lucem splendoremque fugientis justam gloriam, quae est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare. Is videtur amplissimus qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum et calamitatem, vel per majorum commoda et dignitates. Vani enim ac dementis est alienam gloriam quaerere, et inopem laudis aliena laude praedicare se gloriosum. Caduca et mobilia haec esse sapientes semper duxerunt, non virtutis atque ingenii sed fortunae ac temporum munera.

Si ad hanc veram gloriam intendere animum optatis utpote quae sola vobis alacritatem ad littera-

rum studia suscipienda excitet, nullus labor vos deterrebit, nullum incommodum ac difficultas retardabit. Nemini vero, qui eam expetit arridere ulla mediocritas debet. Auream hanc quidem laudavit Horatius, laudavit Aristoteles, Philosophi omnes laudarunt, nihilominus cum mediocritatem laudarunt, eam sane intellexerunt, quae rebus indifferentibus servanda est, vel affectibus mitigandis tamquam fraenum aliquod adhibetur, at ubi de praeclaris facinoribus sermo est, nunquam laudandam: ea quidem, quae gloriam afferunt, mediocritatem respuunt, et ad excellentiam semper contendunt, ad quam quo propius accesserunt, eo majora ac praeclariora praedicantur. Si qui vero in ingenii factis egregiis praestantiae culmen teneant, paene supra humanam conditionem evectos putamus, et vehementer admiramur. Quae cum ita sint quam utile pulchrum praeclarum monitum illud habendum est quod ex Homero, animo filii Achillis, magnae indolis atque expectationis adolescentis ad iliacum bellum profecturi sapiens Peleus imprimere curavit. Fili, ait, illud semper prae oculis habe, in id toto pectore incumbe, ut caeteris quibuscumque bellica virtute praestes, ac supra alios rebus praeclare gestis eveharis.

At frustra gloriae stimulum alacritatem addere ad studia incipienda putant nonnulli et falso et temere, quia aetatis nostrae ingenia tardiora sunt atque hebetiora quam antiquorum fuerint: existimant effoetam esse naturam, et magnorum ingeniorum semina penitus interiisse. Cum enim videant his temporibus

tantam adolescentium frequentiam in litteras se abdere, nihilominus paucos admodum singularis doctrinae palmam referre, nullumque memoria nostra qui scientiarum gloria cum antiquis decertare possit, in eam facile suspicionem veniunt, idcirco veteres tantopere excelluisse, tantoque ab illis doctrinae intervallo distare, quod aureo seculo nati sint primo Naturae partu, cum vis seminis esset summa, et terrae benignitas maxima; Nos autem deteriori aetate exortos non aequalem mentis aciem, neque eandem ingenii vim, et perspicaciam habere. Hinc jam mihi videor audire nonnullos, generosam indolem in vos a Parentibus profectam, in dubium revocantes, utrum e bonis strenuisque parentibus consimiles saepius filii progenerentur an deteriores?

Qui praestantiorum virorum liberos plerumque degenerasse, et a probis parentibus natos ferme filios improbos docent, exemplis bene multis confirmant. Et re quidem vera, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse satis claret; vel sine liberis viri interierunt ut Romulus, Numa, Camillus, Scipio, Demostenes, Virgilius aliique; vel tales plerique habuerunt, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decedere. Pericles, qui eloquentia sua tonare ac fulgurare dictus est, duos reliquit filios stupidos, et tertium furiosum. Aristides cognomento justus, Hippocrates, Thucidides paternae virtuti filios non respondentes susceperunt; quare Demostenes Orator talibus exemplis commotus ajebat veluti fati legem esse, ut a bonis parentibus futiles

proveniant filii; et ipse Marci Tullii Ciceronis filius nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem. Praeterea graecis hominibus in proverbio fuit, maximam partem mortalium a bonis parentibus non paterna cantica canere. Auream aetatem excipit argentea; argenteam aenea; hanc ferrea, degenerante paulatim natura hominum.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quam sententiam cum effatus est Venusinus; divinum Platonem secutus videtur:

Omnia fert aetas, mutatur tempore longo
Fortuna et forma, et nomen et ingenium.

Nihilominus ipsimet Horatius et Plato contrarium luculenter affirmarunt. Primus enim

Fortes creantur fortibus et bonis.
Est in juvencis, est in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilae Columbam.

Alter in oratione funebri inquit: Boni autem extiterunt, quod ex bonis nati essent; et ex Aristo-

tele praestantiores par est ex praestantioribus generari, indolis enim praestantia, virtus generis est.

Unde autem factum putamus, ut tam graves, tam solertes Auctores sibi non consentisse, sibique invicem adversantia dicta in hoc pronunciasse videantur? Equidem puto nodum facile expediri per ea quae mox subjungit idem Horatius :

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborat,
Utcumque defecere mores
Dedecorant bene nata culpae.

Hinc manifeste apparet opus esse labore studio, doctrinaeque cultu, ut bona indoles vim suam exerat; ignaviam autem pravosque mores luem esse teterrimam, quae indolis bonitatem a Majoribus acceptam corrumpit in liberis. Quamobrem ubi Auctores gravissimi in pejus ruere plerosque filiorum, et a bonis parentibus inveniri degeneres affirmarunt, id tantum innuere velle visi sunt, propter socordiam pravamque morum disciplinam a paterna probitate procul abire, propriaque culpa bene natam indolem in seipsis dedecorare, sive quod laboris illos taedeat, sive quod paternam sibi gloriam sufficere arbitrentur. Atque hoc plane sensu Minervam induci puto ab Homero Thelemacum ad virtutem extimulantem : patribus assimiles sunt pauci, deteriores sunt plures, melior proles perrara parente. Si namque ea mens fuisset Homero, ut naturae vitio id tribueret, quid roboris quid ner-

vorum cohortationi, quá Thelemacum urget, inesset? Ex quibus verbis summus vates intellexisse videtur, ipsorum nempe liberorum culpa contingere, ut pauci patribus consimiles, paucissimi meliores, pejores plures existant. Nonne ab ea culpa vehementer deterret generosum juvenem, et ad aemulandam paternam gloriam praeclaris facinoribus exacuit? Neque inficiandum, interdum evenire, quaecumque demum causa sit, ut e strenuo nascatur imbecillus, et ex imbecillo strenuus; saepius tamen accidere constat quasi lata Naturae lege, ut e strenuis strenui, ex imbecillis imbecilli progenerentur.

At quid haec ad vos cohortandos ut ad studia alacriter pergatis? Nihil me aptius ex dictis deduci posse videtis ad refellendum id, quod contra dictum sit. Si enim infertur ex eo, praeclaram Majorum indolem in filiis posterisque plerumque vigere; cum vos ex praestantissimis virtute parentibus ortum habueritis, nonne par est, ut ipsis consimiles aut etiam praestantiores exhibeatis? Ad laudem siquidem humanam maxime pertinet, ut decus Patrum in prole resplendeat. Quapropter pulcherrima ac admiranda ab ipsis relicta monumenta satis superque ostendunt, Eos in unaquaque re excellentiam respexisse, ardua semper esse consectatos, vulgaremque gloriam contempsisse. Nonne vos ipsi qui ad hanc summam contenditis, (si quid in vobis eorum sanguinis est) optimas disciplinas vobis comparandas arbitremini, sine quibus nihil laudabile, nihil gloriosum obtineri licebit? Neque ab earum studio deterreamini reputantes tam arduam,

tam difficilem esse rem , ut nemo illas possit comprehendere.

Hodierno die me profecto pudet , strenui juvenes , litterarum addiscendarum difficultatem attenuare dicendo. Vestrae indolis praestantia, quam a Patribus ad vos derivatam minime ambigo contra exigit , ut verbis potius hujuscemodi difficultatem exaugeam amplificemque ; fatearque , gloriam , quam ad vos inflammandos ad studia propono , in arduo veluti scopulo residere , ascensu acclivi atque aspero ; multos esse labores sustinendos , rupesque praeruptas , antequam ad eas quis pertingat , manibus pedibusque supergrediendas ; ut inde colligam , ob id ipsum ad litterarum studium vobis esse aspirandum , quia arduum est , quia operosum , laboriosum , inaccessum est. Juvenes , quos generosa indoles informat , rei suscipiendae difficultas accendere atque exacuere debet , quemadmodum strenui milites atque impigri arcem parum firmis munimentis vallatam obsidere dedignantur : in eam vero , quae munitissima sit ac poene inexpugnabilis alacriter invadunt. Itaque cum vobis animus sit gloriosum iter ingredi , nisi ad veram solidamque gloriam contollatis gradum, quomodo generosa Majorum soboles esse gloriemini, qui in ardua semper conari consueverunt , eamque famam sibi gentique nostrae compararunt , ut nullus fuerit Europae tam inaccessus locus, quo Neapolitanorum nomen non pervagarit ?

Sed vos jam interpellantes audire videor, ecquid tandem faciendum praecipiam , ut admotis gloriae sti-

mulis doctrinae laude eminere possitis. Credite, juvenes, disciplinarum studium selectiori solidiorique doctrina vos imbuet, quae singularem vobis existimationem conciliabit, et eximet a vulgo. Nobilissimarum quidem studia litterarum vobis esse maxima cum attentione excolenda praecipimus, sed nisi amor et alacritas in discendo accesserit, vix sperandum aliquid vobis eximiae claritatis accessurum. At vero duo, quae veluti quaedam salebrae plerumque studiosis juvenibus opponi atque obstare videntur, eosque a litteris scientiisque remorari, nulla scilicet, vel certe levissima spes lucrum aliquod ex his studiis referendi, frigidusque timor gravissimi taedii, ac laboris, quem in addiscendo se putant subituros. Equidem fateor auditores, iis de eximia ex literis laude reportanda desperandum, quorum animis cogendarum divitiarum cura inoleverit. Officit quam maxime sapientiae incrementis aviditas augendae rei, et animi plene illiberalis argumentum est, et ad veram laudem consequendam ineptissimi. Quod etiam Venusini Vatis auctoritate palam fit, qui Graecos Poetas cum suis Romanis conferens, hosque ab illis longe superari sentiens, id ex eo provenire putavit, quod Graeci Poetae non solum ingenio et eloquentissimae linguae rotunditate prestarent, sed etiam non aurum non divitias appeterent, sed soli laudi inhiarent:

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui praeter laudem nullius avaris.

Contra Romani iis artibus imbuendos pueros curarunt, e quibus multum emolumenti atque utilitatis referrent. Ubi vero haec dixit, indignatus subdit:

.... An haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et laevi servanda cupresso?

Neque vero suspicemini adolescentes si ingenio scientiisque excellatis proventus vobis defore ad vitam honeste sustentandam necessarios. Literatis viris, magnamque celebritatem adeptis si etiam virtus adsit, vitae subsidia et commoda vix unquam deesse reperietis. Insignis enim doctrina, solidiorque sapientia', quae admirationi omnibus est, patronos quavis semper aetate comparavit.

Neque praetereundam puto aliam, qua vosmetipsos tueamini, excusationem in medium allatam, frustra scilicet vobis desudandum esse, frustra molestos ac diuturnos labores perferendos. — Quid enim sublimius et gloriosius inveniri aut fieri potest in omnibus disciplinis si in memoriam revocemus quae remota antiquitate ad haec usque tempora aut inventa aut perfecta fuerunt? Idcirco quid valent gloriae stimuli ad exantlandos labores si nulla vobis palma reservata, immo praerepta?

Verum enim vero si mihi detur facultas dicendi, rationes a vobis propositas non esse tam exploratas quam videntur, ostendam. Conferamus quaeso, humanae intelligentiae tenuitatem cum incomprehen-

sa rerum universitate, mecumque reputate quam magnum et arduum opus sit omnia complecti animo quae in suis penetralibus natura recondidit; ultro enim fatebimur pleraque abstrusa omnino esse altiorisque indaginis quam ut ab acie humani ingenii percipi queant: at eorum quae in nostram intelligentiam cadere possunt, vix aut ne vix quidem minimam partem adhuc exploratam haberi. Sed enim multum egerunt, ut ait Seneca, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operae multumque restabit; neque ulli nato post mille saecula praecidetur occasio aliquid aliud adjiciendi. Ad summam cogitemus, naturam arcana sua non simul edocere, sed servare semper quod ostendat exquirentibus: inhexaustos esse illius thesauros, nec unquam fore ut ejusdem mysteria penitus recludantur, etsi complura ex interiore deprompta sacrario in lucem dies extrahat et longioris aevi diligentia.

Cum igitur nihil inventum ac perfectum sit, neque una eademque aetas omnia in lucem proferat, neque unius mente omnia perpici ac peragi possunt; non potuerunt tot et tanti viri ab ultima antiquitate ad nostra usque tempora licet ingenio fuerint praediti, in omnibus optimis disciplinis, in quibus infinita prope arcana continentur, ita omnia accurate diligenterque vidisse quin aliquid etiam exercitatis ingeniis dispiciendum examinandumque reliquerint.

Post hanc multarum, tamque multiplicium rerum notitiam et ingeniorum copiam non inficiar tardatum iri studia bonarum disciplinarum, ita ut de-

speratione conterriti nolint experiri quod se assequi posse diffidunt. Verumtamen, quod in Oratore Marcus Tullius rectissime dixit, par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere, et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta tentare. Nec si vel illa praestantis ingenii vis, vel inclitarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi: sed quod sapienter speravimus perseveranter consectari. Summum enim culmen affectantes, satis honeste et in secundo fastigio conspiciemur. An latiae musae non solos adytis suis Virgilium et Horatium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes? Nec Brutum aut Coelium, Pollionenve cum Messala et Catulo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis; neque ille ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demosteni Platonique; nec Parens eloquentiae Deus ille Meonius vastissimis culminibus facundiae studia restinxerat. Anne minoris quidem famae opifices per tot jam saecula videmus laborem suum destituisse qui Protegenem Apellemque cum Parrhasio mirati sunt? Nec pulchritudine Jovis Olimpii, Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos Lysippum, Praxitelem, Polycletum piguit experiri quid efficere aut quousque progredi possent? Sed in omni artium et disciplinarum excellentia et summis admiratio veneratioque, et inferioribus merita laus contigit.

Ex animo vestro, Juvenes, talibus impedimentis semotis, eo vos adducti videmini, ut persuasum

habeatis, gloriae spem ingenitos animo vestro igniculos ad praeclara audenda excitari. Et certe liberum vobis est haec impedimenta devitare et literarum studio saniori consilio animum adjungere. Exempla sapientum virorum intueamur. Quo studio censetis Aristotelem in literis aetatem egisse, qui ex tantis suis praeclarissimis monumentis nihil aliud toto suae vitae tempore fecisse videtur quam observasse, legisse, disputasse, scripsisse. Qua cura in describendis formis Archimedem intentum infixumque fuisse creditis, cum nec patriam expugnari, nec domum ab hoste capi sensit? Sed nec militi nomen suum percunctanti potuit indicare sensibus alienatus. Itaque ferro trucidatus, figuras quas acri diligentia depingebat, proprio cruore foedavit. Jam Socrates stans uno eodemque in loco diem integrum ab aspectu coeli immotam oculorum aciem saepe tenebat, nec longa contemplatione defatigabatur quem delectatio recreabat. Videte Pithagoram, Platonem, Apollonium, Solonem, advertite quae maria transierint, quas nationes adierint, quas in barbaras gentes penetraverint, quo studio, quo labore, quo vitae discrimine, ut ceterarum gentium disciplinas artesque perciperent. Sed quid innumerabiles alios Antiquos memorem, qui laboribus, vigiliis, discendi desiderio aetates suas contriverunt, cum post renatas litteras ad hanc diem exempla summorum virorum in Italia praesertim qui ingenii laude floruerunt copia suppetat? Neminem fallit, litteras per nostros Italos e barbariae fluctibus emersisse. Quot, quantas, quam admirabiles recondita-

rum atque inauditarum rerum notitias seu consilio et industria, seu etiam casu et felicitate sibi compararunt! Quam pulchra, quam incredibilia in Mathematicis disciplinis, in Physica, in Medicina in Poesi, ceterisque artibus pervestigavit, atque in lucem veritatis protulit posterioris aevi diligentia. Quanta ex illis gloria, quanta utilitas, quanta voluptas! At quae tam ingratae litterae reperientur, quae eorum gloriam immortalitatis memoria non prosequuntur? Hinc omnis posteritas non unius diei gratulationem, sed aeternitatem nominis immortalitatemque donavit.

Verum non minori studio et diligentia Neapolitani literas excoluerunt viamque saeculo disciplinarum straverunt. Heic qui tacere possim sacra aeternitati nomina Bernardini Tilesii, et Joannis Baptistae Portae, per quos affulsit prima Philosophiae aurora; dum aliis gentibus tenebrae offundebantur! Qui praeterire possum Torquatum Tassum laurea donatum Apollinari inter Homerum et Virgilium! Quis est Europae tam inaccessus locus, quo non pervaserit Marci Aurelii Severini fama! Quem Physiologum latet Thomam Cornelium Consentinum! Et innumeros prope alios viros Scientiarum laude excellentes haec haec Patria sub regibus de Stirpe Borbonia feliciter regnantibus protulit. Quis ignorat Joannem Baptistam Vicum novos in Scientia nova thesauros sed intactos adhuc Philosophis reclusisse! Quae aetas oblivione obruet illud miraculum totius Europeae literariae penitioris antiquitatis investigatorem Alexium Symma-

chum Mazochium! Quid illa Philosophiae et aeconomiae polyticae columina Antonium Genuensem et Cajetanum Filangerium non nominem! Quid illa scientiarum et Medicinae ornamenta Franciscum Seraum, Dominicum Cotunnium, Dominicum Cyrillo, Antonium Semmentini, Michaelem Sarcone, Michaelem Troja in medium non proferam) Quid Xaverium Poli, Philippum Caulini summos naturae scrutatores, et Paschalem Galluppi insignem nostri aevi Philosophum silentio praeteream!

Quanto etiam studio quantaque laude animum adjungant ubique gentium nostrae aetatis praecellentes ingenio viri facile perspici potest sive utilitatem, sive praestantiam doctrinarum, sive eorum praeclara opera et inventa contemplemur. Luce meridiana clariora sunt quae in triplici Naturae regno inventa prorsus nova, vel subtiliter excogitata observamus, ideoque in maxima celebritate et vivent et oblivioni nomen nunquam dabunt.

Haec cum ita sint cur eorum gloria, quae praemium virtutis est, non excitemini? Si Temistocles olim somnum capere adolescens non posse dicitur, dum Miltiadis trophaeo excitabatur, quid turpius quid ignominiosius vobis opprobrari potest si pro ingenii vestri praestantia nullis aemulationis stimulis concitemini, atque accendamini? Quid litteras scientiasque omni animi ardore non expetitis? Quid in earum studium toto pectore non incumbitis? Age dum proponite vobis gloriam quasi lucem vestrorum studiorum, quam si vobis adsciveritis, mira cum alacritate animi la-

bores sustinebitis, omnia litteraria bona advenisse vobis pariter cum illa, ultro vos confessuros confido. Durate et vosmet servate laudis et gloriae deliciis: sunt pueritiae certa studia quae excitantur; sunt et ineuntis adolescentiae, quae exacuuntur; sunt estrema quaedam senectutis studia quae gloria aluntur. Credite, Juvenes, novos sapientiae fontes, illosque uberrimos gloria vobis aperiet; in nobilissima virtutis et scientiae regna multis aliis inaccessa vos introducet, ut peregrina quapiam ac pretiosiore doctrina abunde ditemini. Itaque, Deo auxiliante, nullum laborem declinate, nullos vepres quos offendatis metuite, nullas praeruptas rupes quas conscendere oportet expallescite; sed inceptum iter, gloria duce, constantissime tenete, prosequimini, conficite. Dixi.